2. [illegible]gonda [illegible]

K-VI-6

Generose Domine 1

Generose Domine Lukaszkiewicz

Amice Mi CGEMS

Opuscula in his Miscellaneis sub N.° contenta sunt.

Authores

12.

(10)

TIARA EPISCOPALIS,

Illustrissimo ac Reuerendissimo Domino

D. ANDREÆ GEMBICKI, EPISCOPO LVCEORIEN. TRZEMESNEN. ABBATI,

IN PRIMO AD EPISCOPATVM LVCEORIENSEM ingressu,

A

M. DANIELE OTREBVSZ,
Collega Minore: in Alma Academia Cracouiensi Professore, summæ obseruantiæ nomine oblata.

Excellenti Dno M
Stalikowskij profe
Dialectices.

CRACOVIÆ,
In Officina Typographica Francisci Cæsarij,
Anno Domini 1638.



ORATIO.

CELEBERRIMVS hic dies radiorum augustis splendoribus illuxit, Illustrissime ac Reuerendissime Domine, quando cæli & Numinis felici auspicio, Serenissimi Regis VLADISLAI IV. voluntate, Senatus Amplissimi consensu, votis omnium bonorum, & comprecatione, SEDIS APOSTOLICÆ authoritate, & comprobatione, in hoc Regno Episcopale fastigium conscendisti; quando pulcherrimis virtutum decoratus ornamentis, adijsti possessionem amplificandæ Religionis sanctæ, legum tuendarum, Iuris Diuini confirmandi, & conseruandi studium suscepisti, à Deo Opt: Max: mutuatum, ab ipsius cæli dimanans arbitrio, vt in Luceoriensi Diœcesi veluti columna ignis, altè honorum amplitudine euecta, ad quietis & optatæ tranquillitatis statiua, Tibi subditos fideles deduceres, incredibili virtutum lumine in animos vniuersorum transfundens voluptatem. Hunc geminum in ipso iustæ ætatis flore Tibi delatum honorem, & recenter in lucem hanc amplissimæ dignitatis inaugurato, syncerâ omnium consensione, effusa gratulatur multitudo, tantùm omnibus lætitiæ & iucunditatis per Te sperans alla-

 tum iri

tûm iri, quantùm ex Tuo conſpectu, & plena venerationis maieſtate, vniuerſum colligit Regnum. Atque iſtius communis hilaritatis præclaram ſignificationem, quam ex multorum Tibi gratulantium, oculis, animis, & vultu legis, plauſibili excipit & complectitur affectu Nobilitatis ſplendor, hęc Regni decora Tuo lateri circumfuſa, hæc confertiſsima lætantium agmina, meritis Tuis, non ſine iucunditatis, ob tantam dignitatem ſenſu, maxima reponunt teſtimonia: dignum Te Luceorieñ. Epiſcopatu videri. In cuius animi penetralia, quæ nobilitati dignitatem, & ſplendorem conciliare, non ſolùm vulgi opinione, ſed ſapientum decreto valent, ea vniuerſa, ad decus, & ſupremam maieſtatem, tantâ cum conſpiratione confluxerunt, vt quantò auguſtior Tu, & virtutum ornamentis ſplendidior, Diœceſim iſtam florentiſsimam exornas: tantò illa fortunatior, cui, ex præſentiâ Tuâ, & conſpectu iucundiſsimo, rarum prudentiæ, ſimulque concinnũ decus, illuſtris ſapientiæ exhibeas, & magnam inipertias voluptatem. Cum Vrbe florentiſsima, Nobilitate frequentiſsima, ipſæ templorum ſanctiſsimæ aræ, ad Tuam ampliſsimam dignitatem ornandam, ad honorificum ingreſſum complectendum, ſe commouere videntur, atque eum grati officij excipere pietate, ob cuius mirificam ad tuendum Diuinum cultum voluntatem, ſummam recognoſcũt Sereniſsimi Regis noſtri prudentiam, quòd eum ad munus Apoſtolicum Epiſcopatus Luceorien. deſignauerit, quem virtus mediocria ignorans lumina, moribus

ſplende-

ſplendeſcens antiquis; bonitate prædita, fortitudine glorioſa, humanitate amabilis ornauit, indoles ex virtutum harmonia ad vnguem compoſita omnibus acceptum reddidit. Hæc duo ardui paſtoralis regiminis præſidia Ciues Regni Poloniæ conſpicati, non dubiam ſpem habent, Te ita à pijſsimis parentibus educatum, vt in omni principe digna doctrina & vitæ integritate feceris progreſſum, munus Epiſcopi cum dignitate & fructu Chriſti fidelium adminiſtraturũ, & expectationi de ſe conceptæ ſatisfacturũ. Et cùm omnes omniũ conditiones, omnes hominum ſtatus, in Te virtutum ſublimium famâ excitati, deſiderio incendantur ſummo; vt eum oculis vſurparet, cuius ſingularem prudentiam, morum ſanctimoniam, non tenuioribus rumuſculis, ſed clariſsimis teſtimonijs accepiſſent; quo tandem animo, qua cogitatione, nos eſſe oportebit in Teipſum, quem in his publicis fortunæ ærumnis, inter tot hoſtium obreptantium agmina, quaſi cæleſtis breui affuturæ benignitatis internuncium accepimus, & mox ſollicitum legum, & immunitatum noſtrarum propugnatorem experti ſumus. Fuit virtutis Tuæ Illuſtr: Præſul, Tiaræ Epiſcopalis, honoris tam excelſi ſolidam gloriam promeruiſſe: noſtræ etiam felicitatis ſit, Te iſtiuſmodi inſignibus decoratum intueri. Tu ob inſignem prudentiam, conſtantem patriæ caritatem, indefeſſum Religionis propagandæ ſtudium, in ampliſsimum & grauiſsimum Epiſcoporum ordinem, quaſi in Theatrum totius orbis clariſsimum ſubuectus es; vt nos, ex iſto honorificentiſsimo de

mo de Te summi Pastoris iudicio, in partem communis lætitiæ vocaremur. Quapropter in hac publica gestientis Luceorien. Diœcesis, ex primo Tuo aduentu, lætitia, in hac iucunda ob Tuum conspectum celebritate, tam læto populi consensu, cùm omnes mirifico Tui visendi studio ferantur: quæso obtestorq; Te Illustrissime Domine, vt mecum tacitus Tua bona recognoscas. Hæc namque ex consensu publico omnium gestientium perfecta non foret hilaritas, nisi Tu simul, in memorandam rerum à Te gestarum venias recordationem.

Ac primum vt insignis eximiaque claritate fulgens Tua virtus, ex præclarissima omnium existimatione, non modò acciperet incrementa, verùm in Christi fideles sibi subiectos felicissimè idem iacularetur, eo splendore maiorum Tuorum profecta est, quos ob honorem, authoritatem, fortunas, & heroicam sanguinis inclyti propagationem, & agendi dexteritatem, Sarmaticus hic orbis imitaretur, alieno Sole calens veneraretur. Etenim cùm tria mala potissimùm sęculi cuiusque solent fælicitatem obducere, vitium, ruditas, vilitas, à quibus & nuper mortalium ingenijs calamitas venit. Enituit aliquis in bello, sed obsoleuit in pace; alium toga, sed non arma honestarunt; reuerentiam ille terrore, alius amore humanitate captauit; ille quæsitam domi gloriam in publico, hic in publico partam, domi perdidit; multi lucentem familiæ ignem, otiosis penetralibus absconderunt; multorum generosam animorum amænitatem Bellona oppressit, mo-

sit, morum detestanda inuexit errata. Neglecta virtus in proprio solo seruitutẽ inuenit: proculcata doctrina, non poterat, nisi cum mala fortuna habitare: ignorata nobilitas, & ingenti temporum vmbrâ septa, vix extra squalorem erat. Postremò nulla adhuc familia extitit, cuius virtutes nullo vitiorum confinio læderentur. Tuæ Illustriss: Præsul familiæ splendorem, à fonte & origine magnum, à stirpe & radice inclytum, naturæ dona, sapientiæ studium, tanta concordia, tantusque concentus omnium laudum, omnisq; gloriæ commendat, vt ipsa nunquam intermoritura fama, ad gloriosam recordationem Maiorũ Tuorum, longo annorũ interuallo conspirasse videatur. Polonia nobilitatis veræ seminarium, libertatis asylum, hostium propè innumerabilium victrix, Domus & Familiæ Tuæ amplissimæ summam recognoscit dignitatem, & obseruat authoritatem, tanquam illius, cuius semper maxima & præclarissima in publica omnium tuenda salute, officia extitissent, eluxissent ornamenta, non minus ad ipsius pulchritudinem generis, quàm ad virtutis Tuæ, cõmendationem deriuata. Iusta annalium monimenta, & prægrandia volumina, res à maioribus Tuis, excelsa fortitudine, & inuicto animo gestas comprehendunt. plena sunt antiquitatis testimonia, luculentissima rerum sęcula, quæ Gembiciorum, in vtraque Christiani status Republica virtutem, in rebus magnis dexteritatem, conficiendi celeritatem, gloriosè posteris loquuntur, & seris narrant nepotibus. Et me hercule virtute conspicui Maiores

Tui in-

Tui, inter amplißima Regni decora, & Ordinis Senatorij lucidißimas lãpades, diuino collocati oraculo, quidquid vtilitatis ſimul felicitatiſque optatæ in vniuerſam patriam contulerunt, totum id cum Maiorum Tuorum virtuti, tum annalium veritati debetur. Sed fontem petere remotũ eſt; radicem ſcrutari longum. eorum enim in Rempub: promerita, illamque annalium monumentis peruagatam in publico bono tuendo fidem, qui verbis exprimere vellet, is mea ſententia, Solis lucem inacceſſam, cuius fulgorem oculis ferre non poteſt, dicendo explicare vnâ poterit: vtriuſq; longè patent termini, latè fulgor emicat eximius. Veſtræ familiæ, laus & felicitas, nullâ temporum varietate poterit vnquam in Illuſtrißimo olim Laurentio Gembicki, acerrimo illo honeſtatis, & libertatis publicæ vindice & aſſertore aboleri. Qui poſtquam non fortunæ variatione, aut fatorum errore præcipiti, vel eblandito populi fauore; ſed Optimi Maximiq; Dei voluntate, tum expreſſa & enucleata Regis Sereniſsimi Sigiſmundi III. beneuolentiâ, Præſulis & magni Senatoris gradum ſibi, delatum eſſe recognouit, omnem mentis aciem ad tuendum cõmune bonum direxit. Hic illi gradus ad Rempublicam primus, hic primus aditus ad exiſtimationem, & aſcenſus, beata Ciuium vita, opibus firma, copijs locuples, gloria ampla, virtute honeſta. Vtque alij nobilißima gente proficiſci, clarißimis Maiorum illuſtrari titulis, in maximo fælicitatis gradu reponunt, hoc ipſius proprium, & ita perenne, vt omnium ſomnos eius vigilantia de-

fende-

senderet, omnium otium eius labor, omnium delitias, eius industria, omnium vacationem, eius occupatio. Inter prima Senatoris boni stemmata reposuit, qui se patriæ arctius obligasset, atque in eminentiore collocatus specula esset; cum auxilia cuncta labefactari, aut in discrimē non dubium vocari videat, opera, consilio, fide, omnibusque præstandis studijs non defatigari. Etsi omnium Pontificum in Regno Poloniæ magna amplitudo sit, & dignitas: quorum sapientiæ, fidei, potestati atque tutelæ, non modo templa, altaria, sacra religio, ceremoniæ, salusque omnium commissa est atque credita: Sed Reipublicæ quoq; cura cōmendata: hæc tamen primo, & singulari quodam iure, Archiepiscopatus Gnesnen. sibi vendicat omnia: vt qui perpetua quadam Pontificis maximi legatione fungitur, & Legatus natus Sedis Apostolicæ nominatur. hic pacis publicæ, communis libertatis, ac fidei custos, & tutor est primarius, cum summo Reipublicæ bono. Etenim quantùm saluti, & integritati Rerumpublicarum talis Pontificum prærogatiua conferat, cognouerunt etiā rerum Domini veteres illi Romani, à veri Dei cognitione alieni; quorum eloquentissimus M. Cicero, pronunciauit; nihil præclarius à Maioribus suis inuentum atq; institutum fuisse, quàm quod eosdem Pontifices, & religionibus Deorum immortalibus, & summæ Reipub. præesse voluerint, vt amplissimi & clarissimi ciues Rempub. benè gerendo, Pontifices religiones sapienter interpretando, Rempub. conseruarent. Grauiter

 hic de

hic de ſuis, in errore cenſuit. At nos ſub frigida Septentrionis plaga, veræ immortalitatis, & ſynceræ religionis cultores, ſi iuſti rerum æſtimatores erimus, verè iudicabimus: Rempub: noſtrā Polonam vel ideo maximè, ſupra fortunā omni ætati, tempori, poſteritati propoſitā ad miraculum eſſe, quòd poſt ſuſceptam religionem, eoſdem ſemper & Reipublicæ, & Religionis præſides habuerit Pontifices: quorum ſi labafactes dignitatem, ſquallebunt ſubitò omnia: ſi authoritatem infringas, craſsis obduci, & circunfundi tenebris vniuerſa, derepente videbis. horum ſublata iuriſdictione, non amplius ordini, non libertati, non concordiæ, non fidei, non vlli denique bono locum ſupereſſe, multarū nationum multa docuerunt exēpla. Et quemadmodum anima, dum ex hoc corporis ergaſtulo euolauit, & calor vitalis oſſa reliquit, extemplò videmus omnia vitæ munia collabi, de ſenſu actum, fædam ſuccedere colluuiem, & corpus tabo confectum ſuperare inglorium & ſine nomine truncum. quid non pariter infeſti infauſtique Reipub. fideli Pontificum cura deſtitutæ metuere æquum eſt? ſcilicet pro labore deſidiam, pro continentia, & æquitate libidinem, atque ſuperbiam inuadere, Dei cultum negligi, omnia venalia haberi, fortunam ſimul cum moribus immutari, denique imperium ex iuſtiſsimo atque optimo crudele, intolerandumq́ fieri. Quocirca in Polonia à paruis initiis virtute Nobilium in immenſum auctam, vt vis maligna eiuſcemodi fati nihil potuiſſet, Gentiſque vnius tam diuturnum Imperium,

rium, Regnum Europeis Principibus formidandum, vnis moribus, vnis legibus, vna libertatis intemeratæ ad longum tempus incolumem ferret ætatem; prudenter maiores noſtri, cum cæterorũ Pontificum, tum maximè Archipræſulis Gneſnen. dignitatem ſartam tectamque eſſe voluerunt. Atque vt ſingulis obſeruantiæ ſuæ & ſtudij erga hanc Sedem extaret argumentum, Auguſtiſsimo Primatis nomine & munere, Archipræſulem Gneſnen. honeſtarunt. Hinc, ſi quando afflicta miſeris temporibus, aut perditis moribus, dogmatiſuè quorumcunque hominum perturbata Eccleſia fuerit, huius eſt tandem in veterem libertatem, & dignitatem reſtituere; aut ſi quæ fortè tempeſtates, ac temporum varietates in Rempub. inciderint, earum hic moderator quidam, & quaſi gubernator eſt. Omnia, quæ ſalutaria ſunt, quæ moribus, quæ maiorum inſtitutis, quæ legibus in hac Republica continentur, quæq; religione ſuſcepta ſunt, latent in tutela & patrocinio Gneſnen. Archiepiſcopi. Huic Regem declarare & inaugurare ius eſt: hic Regis quidam aliptes, oleum lætitiæ cum eodem communicat; hic Regem armat gladio, ornat diademate, decorat ſceptro; ipſam deniq; vim ac poteſtatem regni datam diuinitus regio pectori inſerit, vt vel propterea meritò Regis & Regni pater appelletur. In hanc igitur Sedem Illuſtris Antiſtes euectus, ad præclara maiorum exempla, & inſtituta, vitam & omnes conatus ſuos pulcherrimè compoſuit: atq; ad ea omnia, quæ prouidenda ſunt in Repub. & animo paratus erat,

& consilio. Cùm autem amplissima in Republica Archiepiscopalis dignitas, quasi arx patriæ, libertatis & legum patrocinium, ad Ecclesiæ & Reipub. amplificationem suscipiatur, prima illi, postquam ad eum honorem ascendit cura fuit, salutis publicæ retinendæ. Quod enim in curia, Rostris, Senatu, fuit negocium, siue publicum, siue priuatum, siue ad honestatis cultum, siue ad vtilitatis rationem pertineret, quod eius consilio, & tutela vacaret? Omnia pro natura benignè, pro ingenio prudenter egit. Vtque Sol & dies, non parte aliqua, sed statim totus, nec vni, aut alteri, sed omnibus in commune profertur: Sic ille ad Episcopalem & Senatoriam euectus dignitatem, nunquam in diuersum studijs abripiebatur: quæ sentiebat, eadem loqui non fuit veritus, in partibus nunquam esse voluit (quæ sunt in societate virtutes maximæ) sed quæ Reipublicæ vtilia & honesta, eadem sibi putauit, nihil apud illum venale, nihil cuiusquam ambitioni peruium. Adeò integrè in omnibus Reipublicæ rebus versabatur. non eum impensæ, non pericula, non itinerũ longinquitates, non ætas à caritate Reipub. poterant auellere vnquam. Curæ illi in publicis curis: quidquid in otio alij meditabantur: & cum grauissima Regni negotia tractaret, sapientiæ adhæsit. cùm iura, leges, libertates, fas, iustumq; vniuersum moderaretur, & liberalitatem Principis, velut sanguinem vitamque in omnia Reipublicæ transmittit membra; Scholarum labores non permisit exarescere, ingenia æstimauit, qui suum excolluit; artes

promo-

promouit, quas olim ipse didicit; virtutes fouit, quas vitâ moribusq; expreſsit. Quantum temporum felicitati ſtuduit, Sarmaticus loquitur orbis, in cuius duris aſperiſq; rebus, ſemper eius ſic enituit prudentia, & in conſilijs dandis ſalutaribus eluxit ſynceritas, vt nulla aut ambitionis, aut prauæ cupiditatis in eum caderet reprehenſio. nihil iuris in eius conſilia temeritas, nihil fraus, totum virtus habuit. Suadere Principi auſus eſt optima, quia fecit; & exequi, quia ſuaſit. Eccleſiam Dei, quam ſancta ſua, Apoſtolorumque ſuorum voce Chriſtus fundauit, pro viribus defendit; quia ipſa cælorum Regina, & Filius Dei Rex, hunc indefeſſum laborem, æternum beant, tantos ſui Veneratores, ornant immarceſcibili æternitatis corona. Denique tantùm meruit de Regno, de Eccleſia, tantum ſibi Ordines obligauit omnes; vt ex eius meritis redundaret, quod poſteris etiam ſuis ſolueretur. Et me hercule niſi Illuſtriſsimus & Reuerendiſsimus D. Petrus Gembicki, meritis in patriam proprijs, & antecedentibus aulæ officijs niteretur; propter illum Archiepiſcopum, qui Patriæ, Regi, Eccleſiæ, defuit nunquam, dignus ampliſsimis in Republica honoribus videretur. Sed vt neque eius merita periiſſe quiſquam dixerit? quis enim metallum aut æs perire præſumat cũ liqueſcit, & ex eo funditur ſtatua? Minimè gentium periere: ſed honeſtantur: idem in illis, quod ex informi maſſâ, in ſplendidam Dei imaginem tranſijt? Ita Illuſtriſſimus ac Reuerendiſsimus Petrus Gembicki, licet ſatis

 merito-

meritorum ex Illuſtriſsimo Archipræſule ad omne in Republica genus honoris prenſandum habuiſſet, non tamē ambitione, aut inſtructâ maiorum ſuffragatione, ſed candore atque fideli obſequio, quæ demum ſumma laus habetur, præmium ſuæ virtuti poſuit. Ergo poſtquam ille Archipræſulis animus omni exaggerata virtute, ad miraculum futuræ poſteritati cumulatiſsimus, veluti generoſus ales, mortalitatis exuuijs depoſitis, cæleſte prytanæum & Capitolium adijſſet, & Apotheoſi meliori, quàm vnquam Romanorum Auguſti, in arduis cæli nidum ſuum collocaſſet. Illuſtris & Reuerendiſsimus Petrus Gembicki à funebribus tholis ad Aulam Sereniſsimi Regis Sigiſmundi III. conceſsit; nullum benè de Republica merendi tempus omiſit, tanta diligentia, & fide, negotia Regni tractauit; vt nec in aggrediendo recta voluntas, nec in perficiendo integritas defuerit. Nulla cauſa emerſit tam perplexa, quàm celeritate conſilij non explicaret: nullum negotium tam arduum, quod bonitate ingenij facilè non expediret; nulla res tam latenter ſe inſinuarat, quàm multò ante non prouideret. nullum omnino negotium tam difficile fuit, quod conſilio regere, integritate tueri, virtute conficere non poſſet. Hanc itaque tolerantiam Sapientiſsimus Rex Vladiſlaus IIII. aſsiduitatem, pertinacem laborem, quem aulæ, & negotijs publicis etiam olim dominante Sereniſsimo Patre Suo, maioiore ſtudio & affectu in præſtandis officijs, quàm remuneratione impenderat cernens, vbi rerum feliciter

potitus

potitus est, volebat esse studio, & fauore suo honorificè amplificatum. Atque ne solius Principis gratiâ in altum tolli videretur; omnium illum proposuit oculis spectandum: cum Secretarij Maioris munus illi contulisset. Præclarum sanè documentum, quantum ad Serenissimi Regis expectationem, quantùm ad Nobilissimorum Ordinum desideria & fælicitatem Augustæ Domus pertineret. Hic enim honos in Republica Illustrissimo collatus docuit, vnà cum Republica Gembicios creuisse; fuisse maiores Augustæ Domus, qui pro salute inuictissimorum Regum (horum adhuc omnium prototypon est Illustrissimus Stephanus Castellanus Rogosinen.) qui pro tutelâ finium patriæ, ad internecionem hostium fidissima arma sumpserunt, merueruntque inseri summis Equitum Ordinibus, & multis ditionum latifundijs, velut hostimento laborum cohonestari. In illorum perquàm venusto aspectu, qui paulùm moratur, lineasque primas contemplatur, fatebitur vltrò illorum vultum, non adstititium, aut ad tempus sumptum, sed ad perennem famam inclytæ domus duraturum, In Illustrissimo & Reuerendissimo Petro Gembicki Episcopo Præmislien. Cancellario Regni Poloniæ dignissimo effloruisse. Sic nempe & aquilis annosis redintegratur decor: sic natali funere decedens, succedensque iterum Phænix suismet exuuijs reseminatur: sic angui pristinus renouatâ pelle immigrat vigor. Hac enim temporum iniquitate, & rem in deterius æuo protrudentem, Illustrissimo & Reuerendissimo

Petro

Petro Gembicki Regia Maiestas ad Cæsaream Maiestatem legationis munus, à felici Regni sui aditu indixit; eum consiliorum suorum interpretem, & voluntatis in rem Christianam testem designauit. In ea legatione, secundùm vota Serenissimi Regis suscepta, cum authoritate Reipub. peracta, quàm feliciter pro Germania armis domesticis afflicta laborauerit, quibus consilijs, quaué orationis suauitate Cæsareæ Maiestatis, animum diuturnis hostium offẽsionibus exulceratũ leniuerit, mitigauerit, & prope exarmauerit: quantum de Serenissimo Rege & Repub. meritus fuerit: aderunt sanè ingenia præclara, quæ ad hasce laudes celebrandas, quidquid virium contulerint; semper in recenti adhuc sapientum memoria plura restabunt encomio prosequenda. Recordabuntur hi, cum quanto Serenissimi Regis solatio, Polonorum celebritate, obtulisset simul fidem & animum ad vtramque fortunam sustinendam non imparatum, cùm in grauissimo illo Reipub. casu, Moschorum impetus, totumque Septemtrionem in nos armatum, coerceret & sustineret Rex potentissimus. Reminiscentur quàm prudẽter, Regis iussu pactionibus illis & fæderibus, quæ transmarinus hostis postulabat interfuisset. Recognoscent, quàm consilio magno, in orbitate à morte aliquot Præsulum Nobilissimæ Diœcesis Cracouien. Administrationem sustinuisset: quanto labore vim & iniuriam à rebus Ecclesiæ prohibuisset, iuridicundo religiosè, & grauiter præfuisset, clero cultum & vestitum decentem imperasset, ab

ſet; ab Eccleſijs diſcedentes, locis ſuis, & Eccleſijs reſti-tuiſſet. Libenter, libenter equidem reputabunt eius ingentem in patriam & Eccleſiam amorem, quorum gratiâ proprijs etiam fortunis parcere nefas duxit. Et cũm hæc recolligent, vt tam eximium Cancellarium, Deus diutiſsimè incolumem producat, exaugeat, religiosè exoptabunt. Miraculi vicem ſubit Illuſtriſsime Antiſtes, quē nũc inclyti Regni Procerũ gratulationes, Cleri vota, Nobilitatis acclamationes, populi ſtudia, & comprecationes Epiſcopum Luceorienſem ſalutant, Tibi ex Illuſtri maiorum proſapiâ natales contigiſſe. Campus eſt hic gloriæ Tuæ ampliſsimus, præiuiſſe Tibi maiores ab auitâ paternâque ſtirpe multa per ſęcula, in ſe velut orbe redeuntibus annis, rei benè gerendæ natos. Fuiſſe Illuſtriſsimum Laurentium Gembicki Patruum, animi magnitudine, & caritate in Patriam florentiſsimũ, Archiepiſcopum Gneſnen. Eſſe fratrem Illuſtriſsimum Petrum Gembicki, Supremum Regni Cancellarium, Iuris Diuini & Ciuilis ſcientiſsimum: toga, ſago, poſthumis etiam temporibus Caſtellanum Rogoſinenſem fæliciſsimum: Ioannem Gembicki, Cancellariæ maioris Regentem: cuius adoleſcentiam velut agrum quendam, ſemina Diuinitatis tam benè ſubactum fæcundarunt, vt de vberrima meſſe ſpes Rempublicam alat, minimè fallax. Similia enim origini prodeunt, & paria his, ex quibus orta ſunt, pullulant. non deeſſe eiuſdem cognominis alios, quos cum Perilluſtri D. Chriſtophoro Gembicki Dapifero Regni, Capit: Gne-

ſnen. nul-

ſnen, nullo faſcino moderetur publica lætitia: ſit vera ſeros in nepotes Domus Veſtræ auguſtæ fælicitas, ſeneſcatque ſeclis innumerabilibus. Fælicem Te cui virtutis auitæ, hæredem eſſe è ſuperis datum; fæliciorem, quòd in ætate, nondum conſilio aut iudicio maturiore corroborata, circumſpecta ad omnes vitæ actiones ex litteris acceſsit prudentia, viamque planam, nec vllis obſeptam impedimentis, ad omnem gloriæ, & dignitatis curſum Tibi patefecit. Et ne in ipſo virtutum curſu aduerſum & infeſtum affectionum genus, quod dominatum in homines non paucos ſibi vſurpat, generoſæ indoli Tuæ obfuiſſet, ſolidiſsimum contra blandientis ætatis illecebras, virtutum omnium, quaſi tenuiore ſolo ieciſti fundamentum. In Academia Cracouienſi antiqua Schola Regni, efformaſti tenellum intellectum, ad quæuis ſublimiora; animum pietate, quam lapidem angularem cæteris virtutibus ſuperſtruendis eſſe, nemo negauerit, imbuiſti. Voluntas legitimis moderationum cancellis, ad virtutum amplexum optimè perficitur, auſpicijs, ductu, Præceptorum & Profeſſorumn, in Academia Cracouien. ex virtutum harmoniâ ad vnguem compoſitorum: idque non in vmbrâ & diuerticulo ab hominum ſocietate remoto; ſed in Palæſtra concurſui iuuentutis è nobilitate deſtinata; in qua quântum librâris generoſiſsimæ indolis Tuæ vires, dicere ſufficienter poterunt, qui fuerunt eius rei ſpectatores, & admiratores. Ipſe ſanè euentus ſatis luculenter hoc depingit. Quæ pueritiæ tranſactæ præconia eadem &

dem & adoleſcentiæ. ita enim vitam inſtituiſti, vt concentum quendam actionum honeſtarum, quantum ætate ſuffragante liceret, induxiſſe videaris. Paucos reperias, qui conſilio ſe ſuaque diſponunt: plerique dum vitæ inſtrumenta conquirunt, vitam tranſeunt: & eorum more, quæ fluminibus innatant feruntur, non eunt. Vt enim lenior vnda aliqua detinuit: quædam rapide curſu ablepta, quædam ad ripam impetu langueſcente, depoſita videas, alia deniq; torrentis violentiæ deiecta in pelagus: ſic & adoleſcentiæ mores, aut molliores, aut vehementiores, impari conamine adhibita cura, & illecebra diſtinguit. Nihil in hac adoleſcentia ſpecioſa libertatis nomina, nihil cerea, & flexilis in vitium licentia ſibi poſtularunt. Prudentiæ Tuæ fuit, quod ſuperbia indiſcreta fælicium pediſſequa procul à Te ire iuſſa: quod nihil fragili oſtentationi, nihil ventoſæ ambitioni, nihil tumidæ arrogantiæ relictum. Eoque hoc decus eſt admirabilius, quò rarius: quippe alias eâ ſcabie fortunatum laborat ingenium, vt quò potentia floret ampliore, eò ardentiore febri & prurigine corripiatur inſoleſcendi. Vix enim cuiquam contigit, & abundare fortuna, & indigere ſuperbiâ. Hæc vt ſemel blandiſsimo veneno mentem, relegata ratione, faſcinauit, nihil ſupereſt, quàm vt ſe ſolùm ſupra cæteros mortales euectum, diuiſque parem, & vt fortunæ indulgentia eminentem, ſic animi bonis, quorum ſæpè nec veſtigium, vel ipſe Argus oculeus deprehenderit, ferocientem oſtendet. A modeſtia deflectit pruden-

 tiæ Tuæ

tiæ Tuæ Gnomon ad vmbram comitatis designandam. Nihil Tibi ad amplificandum decorē obfuit, exoticos & alio Sole callentes orbes adire; qui virtutes potius gubernationi subditorum necessarias, aliaque Reipublicæ adiumenta tractandæ, suppeditarunt. His præsidijs Te ad Rempublicam adeuntem, ea excepit & prosecuta est prosperitas, vt summorum quorumuis in Repub. virorum Tibi animos, atque propensam conciliaret voluntatem. Postquam enim Te Ecclesia Trzemesnensis Abbatem, Gnesnensis Suffraganeum, in frequentissima Nobilissimorum Ordinum lætitiâ, ad Reipublicæ salutem excepit, & lætabunda salutauit, ad Cleri vitam & mores, ad pietatem Religiosorum instaurandam, Te accinxisti. An Ecclesiæ res sint integræ: an laudis Diuinæ officia debitè peragantur, per Te ipsum inquirere non cessasti; quoad amissa restituerentur, neglecta excitarentur, squallida in decorem redirent, confusa ordinem acciperent. O Antistitem illis regionibus omni seculorū æuo, non tantùm optandum, sed ardentibus quoque votis à Deo Optimo Maximo expetendum. Vigebunt illa Tua in Trzemesnen. Ecclesia merita; audientur præclara gesta; celebrabitur summa in Ecclesiam Gnesnen. pietas, nec vlla vnquam ætas Tuas Legationes, qua à Sapientissimo Rege VLADISLAO IV. cùm Romam ad Sanctissimum Vrbanum VIII. tùm Viennā ad Imperatorem Romanum potentissimum Ferdinandum II. in negotio graui delectus, laudabiliter functus es, conticescet. Ea tamen, quæ

vt verus

vt verus Præſul in Abbatia, Suffraganeus in Diœceſi Gneſnenſi præſtitiſti, in orbe Sarmatico effloreſcent quotidiè: eò magis, quo anima corpori, ſpiritualia temporalibus, diuina humanis plus præſtant. Tanta de Eccleſiæ Dei meritorum laude circumfuſus, ad altiorem in Repub. amplitudinis gradũ, nedum cogitans, magno cum honore inuitaris. Præclarum hic duarum de Te Eccleſiarum, ac Tui Tecum certamen ſpectat Polonia. Altera Tuæ curæ dexteritate, inſtaurata, & aucta Te retinere: Altera quantotius gremio ſuo accipere, ac Tuarum virtutum Sole, colluſtrari, omni contentione expoſcit. illa partæ gloriæ, oblectamenta præſentia ſuggerit: hæc Maiorum cumulandorum ſegetem proponit. illa vt meritorum fructu, conquieſceres: hæc ne virtuti ad maiora natæ, iniquior, vim inferre videaris, hortatur. Et forſan ad hæc animum aduertenti, ſuccurrebat, ſecuriùs eſſe, laude certâ, ac præſtantiſsimâ delectari; quàm ſpe maioris, humeros grandi oneri, ſubmittere. Parendum tamen fuit vocationi Diuinæ: mos patriæ expectationi gerendus: non Cleri, nõ Nobilium deſideria fruſtranda. Quamobrẽ maius quid, & ſublimius, animo, agitare incipiens, & digna Tuo pectore, mente complexus, Summo Numini, humanis optatis, non inficiatus, omni remiſsione animi, poſthabitâ, in ſublimè Epiſcopatus Luceorien. faſtigium, ingenti applauſu hinc atque hinc, ſtudiis concurſantibus, incredibili gaudio omniũ, inueheris. Fælix Tua Virtus Illuſtriſsime Præſul, euadens in hæc dignitatum culmina,

tam insigni, atque secundo cursu, quem inuidia non est remorata. Fortunatos nimium ciues, qui Te nunc velut præsens, & salutare lumen, venerantur, suspiciunt; & gaudent vehementer, quod Episcopum, non modo orationis splendore, iuris diuini interpretem, virtutis & vitiorum arbitrum, æternorum suppliciorum denunciatorem, cælestis gloriæ præconem; sed Ducem & Auctorem vita & exemplo habituri sunt. omnesque certis in Deum animis vouent, breui Te, propitio Deo effecturum, & sanctitatis & eruditionis celebritate, vt non modo Roxolani, superstitionum tenaces, Schismatis à maioribus accepti acres propugnatores; Sed Hæretici etiam, pernitioso erroris situ relicto, veram Orthodoxã fidem amplectantur. Vt enim Sol radios à medio ad omnes plagas, ita Tu è loco sublimium virtutum Tuarum, ad varios hominũ status salutaris doctrinæ fructus laudabiles protendis. Horum omnium vota in Tuam salutem collata, concessorũ à Diuina clementia munerum, florentissimam iunctis copiis perpetuitatem, in Orbe Sarmatico virtutis ac scientiæ peruetustum Gymnasiũ vouet: Et augurijs suis omnibus que certatim fusis, hæc Soteria Tua prosequitur. Quare Illustrisime Antistes, qui tantùm hucusque Ecclesiæ ac Reipublicæ sapientia profuisti: qui de vicaria cæli Sede, Serenissimo Rege tantùm es promeritus; eandem promerendi voluntatem, in Academia, in hac Regiâ D. Iagellonis Vladislai II. ac Heduigis, beneficentiæ sobole nutrienda, fouenda, ornanda velis occupare, vt autem

Tuorum

Tuorum in Academiam meritorum memoria nunquam moritura maneat, aduoluta sacris Altaribus, conceptisque votis exoptat, sit honos hic Tibi inprimis saluti, Ecclesiæ Dei honori, Reipublicæ Polonæ ornamento; & inposterum indictis Tuo nomine supplicationibus, hæc eadem, vt Tibi integra ac perpetua seruet Deus, Optimosque vitæ dies largiatur, fusis ad Deum Optimum Maximum ex animo, precibus exoptabit.

DIXI.

Sub fælicibus auſpiciis Admodum Reuerendi ac Magnifici Domini

D. ALBERTI BOROVII, S. Th.

Doct: & Profeſs. Eccleſ: S. Floriani Cuſtodis, & Vniuerſitatis Cracouien. Generalis

RECTORIS.

fl. – 3



818864 **Bibliotheca** 28000,-

P.P. Camaldulensium in Bielany

Depozyt w Bibliotece Jagiellońskiej

03947

K.VI.6